

9. *Chondrilla Albertoregelia* C. Winkl.

Ch. perennis e radice verticali pluricaulis; collo foliorum pristinorum vaginis dense oblecto; caulibus adscendentibus vel erectis tenuibus ramosissimis glabris; foliis glabris, radicalibus e vagina latiuscula in petiolum attenuatis e petiolis brevibus in laminam lanceolatam vel lineari-lanceolatam dilatatis; foliis caulinis sessilibus linearibus vel subulatis; capitulis glaberrimis cylindraceis in ramorum ramulorumque apice solitariis; involucri phyllis 5 interioribus lanceolatis margine angusto scariosis, calyculi phyllis 2—3 minimis subdeltoideis; achaeniis teretibus striatis rostratis, rostro quam achaenium quadruplo brevioribus; pappi piloso candidissimo, achaenio subaequilongio vel longiore.

Habitat in Bucharae provincia Darwas. Ad ripas fluvii Wandsch altitudine 7000' Septembri mense anni 1881 nec non inter Sagridascht et Kalaichum altitudine 5—6000' Septembri mense anni 1882 cl. Dr. A. Regel collegit.

Plantae gracilitate eximia ab omnibus Chondrillis diversissimae caules 2—2,5 decim. altitudine vix superant, ima basi diametro 1 millim. ramorum diametro vix 0,5 millim. attingunt; folia radicalia 4—8 centim. longa 4—6 millim. vel ultra lata sunt; folia caulina inferiora 0,5—1 millim. lata longitudine inter 6 millim. et 4 centim. variant; summa multo breviora sunt.

Achaenii structura *Ch. piptocomati* Fisch. affinis, a qua tamen involucri phyllis 5 aliisque notis facile dignoscitur.

10. *Mulgedium longifolium* C. Winkl.

(*Eumulgedium* Boiss.)

M. perenne? caulibus elongatis striatis glabris apice paniculato-corymbosis; foliis radicalibus desideratis, caulinis inferioribus subsessilibus runcinatis, superioribus sessilibus lanceolatis subruncinatis

vel integris margine integerrimo vel eroso-dentato, dentibus inaequalibus, foliis omnibus glaberrimis; capitulis mediocribus; involucri glabri phyllis imbricatis, interioribus 5—7 longissimis oblongis apice obtusiusculis, mediis 4—6 ovato-lanceolatis acuminatis, extimis 3—4 minimis subulatis vel deltoideis; omnibus margine scarioso-membranaceo angusto cinctis; flosculis exsertis; achaeniis teretiusculis utrinque angustatis apice nunquam in rostrum productis, disco diametro achaenii angustiore; pappi setis candidissimis.

A cl. Newessky prope Karamuk vere anni 1878 collectas plantas cl. Korolkow cum herbario Horti Petropolitani communicavit.

Plantae altitudine 1 m. attingentis folia caulina inferiora 2,5—3 decim. longa sunt, superiora sensim decrescunt.

A *Mulgedio Tatarico* D.C., cui proxime affine est, differt achaenio apice nunquam rostrato fere Sonchi achaeniis simillimo, foliis fere duplo longioribus, caulibus multo altioribus.

